



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118456

§. 105. Papa, omnesque Romani hujus victoriæ fama territi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.
A.C. 1512. versus Gallos arma fumerent; sub iisdem quoque conditionibus Julius Vitellius Episcopus Tivernensis urbis suæ portas Victoribus aperuit; postea vero omnes Romandiolæ urbes Sanseverinati Cardinali Pisani Concilii Legato sese subjecerunt, Forolivio, ac Foro-Cornelio exceptis. Ast hic stetit secundi prælii successus, ipsismet Gallis victoriæ cursum remorantibus.

§. CV.

Papa, omnesque Romani hujus victoriæ fama territi.

Guic. l. 10.
Raynald. hoc
ann. n. 22. Insignis hujus victoriæ fama late ubique diffusa Romanos cives haud minori terrore oppressit, perinde acsi Galli jamjam urbis portas invaderent: unde Cardinales ad Pontificis palatium accurrunt, ad ejus pedes sese provolvunt, urgent & instant, ut tam suæ quam Collegii saluti prospiceret, postea eidem exponebant, quod merito timendum sit, ne Proceres Romani seditionem moveant; eoquod jam plures eorum secreta cum Gallis consilia cuderent, atque inter eos non infimus esset Urbinatis Dux, nec temere conjici posse ajebant, quod Dux ducentos suos Lancearios, aut peditum quatuor millia juncturus sit copiis. quas Pompejus Columna, Robertus

bertus Ursinus, Antonius Sabellius, Petrus Marganus, & Laurentius Mancinius in variis status Ecclesiastici urbibus conscripserant. His perceptis nil propius videbatur esse, quam ut Papa importunis Cardinalium precibus cederet, cum ecce! Ferdinandi, Venetorumque Legati opportune accurrunt, ac Papam metu liberant, illatæque cladis acerbitatem pro viribus diminuunt, & huic malo expeditum adesse remedium exponunt, necnon subjungunt, Helvetios numero longe plures proxime adventuros, quam ad reparandam eorum jacturam, qui Ravennatensi prælio occubuisent, necessarii forent; ac Angliæ Rege Gallis bellum nunciante, brevi eorum victoriis finem imponendum, eoquod potissima foederati Equitatus pars unacum Cardonna & Carvajalo feliciter victorum manus effugisset, Hispani vero equites, haud dubie foederati exercitus robur, compositæ sese recepissent, denique militarem Gallorum turbam occiso eorum Duce corpus esse sine spiritu inquebant.

§. CVI.

Papa a Cardinale de Medicis animo erectus.

Verum cuncta hæc rationum momenta anxias Papæ curas parum sedabant,

Sæcul. XVI
A.C. 1512.